

The Electronic Manipulus florum
www.manipulusflorum.com

Gloria eterna d
cum fonte primo

Illuc festinate ubi semper uiuatis.

Si enim sic amatis istam miseram
fluidamque uitam, ubi cum tanto labore
uiuatis et ubi uix currendo, satagendo,
sudando, suspirando necessariis
corporis satisfaciatis; quanto magis
amare debetis uitam eternam, ubi
nullum laborem sustinebitis,
ubi semper summa securitas,
summa felicitas, felix libertas,
felix beatitudo; ubi implebitur illud quod
Dominus dicit in ewangelio: Erunt
homines similes angelis,

et illud: Fulgebunt iusti et cetera.

Augustinus de utilitate agende
penitencie.

Vitam igitur aeternam ex omnibus
praecordiis uestris amate, quam
nunquam in saecula finiat; illic festinate, ubi semper uiuatis, et ubi
jam mori nunquam timeatis.

Si enim sic amatis istam miseram
fluidamque uitam, ubi cum tanto labore
uiuatis, et ubi uix currendo, satagendo,
sudando, suspirando, necessariis
corporis satisfacitis; quanto magis
amare debetis aeternam uitam, ubi
nullum unquam laborem sustinebitis,
ubi summa semper est securitas,
secura felicitas, felix libertas,
libera beatitas; ubi implebitur illud quod
Dominus in Ewangelio dicit: *Erunt
homines similes angelis* (Matth. XXII).
Similes utique non substantia, sed
beatitudine.

Et illud: *Tunc iusti fulgebunt sicut sol in
regno Patris eorum* (Matth. XIII, 43).

Audoenus Rothomagensis, *Sancti Eligii
Noviomensis episcopi vita*, 2, 15 (PL 87,
col.544A-B).